1674

Viro Nobilissimo Constantino Hugenio C. F.

S. P. D.

Joannes Georgius Graevius.

Non temere litteris inanibus viros magnos, multis praesertim occupationibus districtos compello, ne tum quidem cum meae videntur maximae rationes postulare. Quid enim? Honoris tui caussa scribam? Vna mihi quidem ea esset causssa gravissima ita ornandi atque augendi tui: sed quae tibi accessio ex meis litteris homini, tuo merito, omnium judicio amplissimo? Equidem quod possum te amo, observo, absentem colo: quod declarandi aliis, non tibi, te enim non fugit, alium mihi reservo locum. Nunc tamen quam gravis causssa me ad scribendum compulerit non dubito quin pro tuo ergа me studio sis cognituruss. Multorum hominum minime levium sermonibus ad me perfertur, fuisse qui malignos de me disseminarint rumores, invidiosumque me facere apud Serenissimum Principem Transsionensem studuerint, criminantes me Cartesianae familiae alumnum esse ac sectatorem, nec bene de Principali gubernatione sentire. Nihil potuit dici falsius. Cartesii doctrinam tantum abest ut imbiberim, ut ne libros ejus unquam evolverim perlegerimque. Non hoc mihi laudi duco: sed meorum studiorum rationes sunt alienissimae ab hoc scriptorum genere, nec tulerunt unquam ut iis pertractandis invigilare potuerim. His accedit quod a tenuis

annis innutritus sim praeceptis antiquorum dicendi sapiendique magistrorum, illorumque lectione capiar unice, quod non ignorant qui me publice privatimque in hac Academia & in aliis gymnasiis audiverunt Aristotelem unice praedicantem, & ejus libros Rhetoricam inprimis Ethicen & Politicen iis commendantem non solum, sed & exillis multa de superiore loco explicantem. Nihil unquam docui, nihil scripsi, quod ullius animum, cujuscunque ille sit ordinis & loci & sectae posset offendere, nec unquam de Serenissimo Principe ac Ejus gubernatione sinisterius existimavi. Hanc calumniam difflabit oratio, quam de laudibus Magni Principis scripsi, quae nunc typis mandatur. Illa testatum faciet neminem esse magis Serenissimo Ejus Nomini addictum & devotum. Antehac reipublicae formam, quam inveni cum in istis terris primum appuli ante hos sedecim annos, non improbavi, & ejus rectores colui, boni civis officium existimans praesentibus esse contentum. Nunc vero summo reipublicae bono illam immutatam esse, eaque immutatione servatam unice, semper prae me tuli, & multis verbis in illa declaro oratione qua summa fastigia rerum gestarum Serenissimi Principis sum prosecutus. Non habeo nunc quem ad te allegem praeter illam humanitatem tuam incredibilem, quam omnes admirantur, quaque omnium hominum voluntates allicis ac tibi mirifice devincis. Ea una spero fore, ut qui semel de me bene mereri coeperis, tibi in tuo beneficio constare, & apud Serenissimum Principem meam caussam, si quae hic jactantur vera sunt, agere velis enixe, ne

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
http://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0547

homo insons, qui omnes curas & cogitationes in optimarum artium studia fixit, damnetur & adfligatur calumniantium artibus & nequitia. Vale Vir Nobilissime, & me tuo beneficio, quando esse meo merito non possum, in tuorum numero esse patiare. Illustrissimo Parenti tuo salutem officiosissimam dico. Trajecti in Batavis a.d. XXX April. CIↃ IↃC LXXIV secundum epocham Gregorianam.